

ter nos : tu qui dormisti, et tamen non dormitas, custodiens Israël : postremo, tu quem vendidit Judas, quem Judæi emerunt, et non possederunt : tu apprehense, ligate, flagellate, spinis coronate, in ligno suspense, lancea percusse, tu mortue, tu sepulte : « Exaltare super » cœlos Deus. » Exaltare, inquit, exaltare super cœlos, quia Deus es. Sede in cœlo, qui pependisti in ligno. Judex expectaris venturus, qui expectatus est judicatus. Quis ista credat, nisi illo faciente, qui erigit de terra inopem, et de stercore exaltat pauperem¹? Ille ipse inopem carnem suam erigit, et collocat eam cum principibus populi sui, cum quibus judicaturus est vivos et mortuos. Cum eis collocavit hanc inopem carnem, quibus dicit : « Sedebitis super duodecim sedes, judicantes duodecim tribus Israël². »

V. « Exaltare ergo super cœlos Deus. » Jam factum est, jam impletum est. Sed dicimus : Quomodo futurum prædictum est : « Exaltare super cœlos Deus ; » non vidimus, sed credimus : ecce ante oculos nostros est quod sequitur : « Exaltare super cœlos Deus, et super omnem terram » gloria tua. » Non credat illud, qui non videt istud. Quid est enim, « Et super omnem terram gloria tua? » nisi super omnem terram Ecclesia tua, super omnem terram matrona tua, super omnem terram sponsa tua, dilecta tua, columba tua, conjux tua. Ipsa est gloria tua. « Vir » quidem, ait Apostolus, non debet velare caput, cum » sit imago et gloria Dei : mulier autem gloria viri³. » Si mulier gloria viri, Ecclesia gloria Christi.

¹ Psal. cxii, 7. — ² Matth. xix, 28. — ³ 1 Cor. xi, 7.

SERMO CCLXIII¹.*De Ascensione Domini, III.*

I. GLORIFICATIO Domini nostri Jesu Christi resurgendo et ascendendo completa est. Resurrectionem ipsius Paschæ Dominico celebravimus : ascensionem hodie celebramus. Festus nobis dies uterque. Ideo enim resurrexit, ut nobis exemplum resurrectionis ostenderet : et ideo ascendit, ut nos desuper protegeret. Habemus ergo Dominum et Salvatorem nostrum Jesum Christum prius pendentem in ligno, nunc sedentem in cœlo. Pretium nostrum dedit, cum penderet in ligno : colligit quod emit, cum sedet in cœlo. Cum enim omnes collegerit, quos utique per tempora colliget, in fine temporis veniet, et quomodo scriptum est : « Deus manifestus veniet² : » non quemadmodum primitus venit occultus, sed sicut dictum est, manifestus. Occultum enim oportebat eum venire, ut judicaretur : manifestus autem veniet, ut judicet. Si enim prius manifestus venisset, judicare manifestum quis auderet? Quandoquidem dicit apostolus Paulus : « Si enim cognovissent, nunquam Dominum gloriam crucifixissent³. » Sed si ille non occideretur, mors non moreretur. Trophæo suo diabolus victus est. Exultavit enim diabolus, quando primum hominem seducendo dejecit in mortem. Seducendo primum homi-

¹ Alias de Tempore 174 et de Diversis 90. — ² Psal. xlix, 3. — ³ 1 Cor. ii, 8.

nem, occidit : occidendo novissimum, primum de laqueis perdidit. Facta est ergo victoria Domini nostri Jesu Christi, cum resurrexit et ascendit in cœlum ; et impletum est quod audistis, cum Apocalypsis legeretur : « Vicit leo de » tribu Juda¹. » Ipse leo dictus est, qui agnus occisus est : leo propter fortitudinem, agnus propter innocentiam : leo quia invictus, agnus quia mansuetus. Et ipse agnus occisus morte sua vicit leonem, qui circuit quærens quem devoret. Dictus est enim diabolus leo, feritate, non virtute. Apostolus quippe Petrus ait : « Vigilare vos oportet » adversus tentationes, quia adversarius vester diabolus » circuit, quærens quem devoret². » Sed quomodo circuit, dixit : « Sicut leo rugiens circuit, quærens quem » devoret. » Quis non incurreret in dentes leonis hujus, nisi vicisset leo de tribu Juda? Contra leonem leo, contra lupum agnus. Exultavit diabolus, quando mortuus est Christus, et ipsa morte Christi est diabolus victus; tanquam in muscipula escam accepit. Gaudebat ad mortem, quasi præpositus mortis. Ad quod gaudebat, inde illi tensum est. Muscipula diaboli, crux Domini : esca qua caperetur, mors Domini. Et ecce surrexit Dominus noster Jesus Christus. Ubi est mors quæ pependit in ligno? Ubi est insultatio Judæorum? Ubi est typhus et superbia caput ante crucem agitantium et dicentium : « Si Filius Dei est, » descendat de cruce³? » Et plus fecit, quam illi insultando exigebant. Plus enim est de sepulcro resurgere, quam de ligno descendere.

II. Jam vero quanta gloria est quod ascendit in cœlum? quod sedet ad dexteram Patris? Sed hoc oculis non videmus, quia nec pendentem in ligno vidimus. Totum hoc fide tenemus, oculis cordis intuemur. Hodie enim, sicut audistis, fratres, Dominus noster Jesus Christus ascendit

¹ Apoc. v, 5. — ² 1 Petr. v, 8. — ³ Matth. xxvii, 40.

in cœlum, ascendat cum illo et cor nostrum. Audiamus Apostolum dicentem : « Si consurrexistis cum Christo, » quæ sursum sunt quærite, ubi Christus est in dextera » Dei sedens : quæ sursum sunt sapite, non quæ super » terram¹. » Sicut enim ille ascendit, nec recessit a nobis : sic et nos cum illo ibi jam sumus, quamvis nondum in corpore nostro factum sit quod promittitur nobis. Ille jam exaltatus est super cœlos. Neque enim propterea nobis desperanda est perfecta et angelica cœlestis habitatio, quia dixit : « Nemo ascendit in cœlum, nisi qui descendit » de cœlo, filius hominis qui est in cœlo². » Sed hoc dictum est propter unitatem, qua caput nostrum est, et nos corpus ejus. Cum ascendit in cœlum, nos ab illo non separamur. Qui de cœlo descendit, non nobis invidet cœlum : sed quodam modo clamat : Membra mea estote, si ascendere vultis in cœlum. In hoc ergo ipsi interim roboremur, in hoc votis omnibus æstuemus. Hoc meditemur in terris, quod computamur in cœlis. Tunc exuturi carnem mortalitatis, nunc exuamus animi vetustatem. Facile corpus levabitur in alta cœlorum, si non premat spiritum sarcina peccatorum.

III. Nam et illud nonnullos calumniantibus hæreticis movet³, quemadmodum Dominus sine corpore descendit, cum corpore ascenderit; velut contrarium sit illis verbis quibus ait : « Nemo ascendit in cœlum, nisi qui de cœlo » descendit. » Corpus, inquiunt, quod non descendit de cœlo, quomodo potuit ascendere in cœlum? Quasi ille dixerit : Nihil ascendit in cœlum, nisi quod de cœlo descendit : sed ait : « Nemo ascendit, nisi qui descendit. » Hoc enim ad personam, non ad personæ habitum retulit. Descendit sine corporis indumento, ascendit cum corporis

¹ Coloss. iii, 1, 2. — ² Joan. iii, 13. — ³ Vide lib. de Agone Christ. cap. xxv.

indumento. Nemo tamen nisi qui descendit, ascendit. Nam si nos sibimet tanquam sua membra ita coaptavit, ut etiam nobis conjunctis idem ipse sit, quanto magis illud corpus quod de virgine assumpsit, aliam non potest in illo habere personam? Quis enim vel in montem, vel in murum, vel in aliquem superiorem locum dicit non eum solum qui descenderit ascendisse, si cum descendisset exutus, ascendat indutus; aut cum descendisset inermis, ascendat armatus? Quemadmodum ergo de hoc dicitur: Nemo ascendit nisi qui descendit, quamvis cum ea re cum qua non descendit ascenderit: sic nemo in cœlum nisi Christus ascendit; quia de cœlo, nisi Christus, nemo descendit; quamvis sine corpore descenderit, cum corpore ascenderit, ascensuris et nobis non virtute nostra, sed nostra et illius unitate. Duo quippe sunt in carne una, sacramentum magnum est in Christo et in Ecclesia¹. Unde et ipse dicit: « Igitur jam non duo, sed una caro². »

IV. Et ideo jejunavit, cum tentaretur ante mortem cibo adhuc indigens: manducavit autem et bibit, cum glorificaretur post resurrectionem jam cibo non indigens. Illic enim ostendebat in se nostrum laborem, hic autem in nobis suam consolationem, quadraginta diebus utrumque definiens. Nam quadraginta diebus jejunavit, cum tentaretur in eremo, sicut in Evangelio scriptum est, ante mortem carnis suæ; et rursum quadraginta diebus cum Discipulis fuit, sicut Petrus in Actibus Apostolorum loquitur, intrans et exiens, manducans et bibens, post resurrectionem carnis suæ. Quo numero quadragesimo hujus sæculi significare videtur excursus in his qui vocantur ad gratiam, per eum qui non venit legem solvere, sed adimplere. Decem namque sunt præcepta legis. Jam gratia Christi diffusa per mundum et quadripartitus

¹ Ephes. v, 31, 32. — ² Matth. xix, 6.

mundus, et decem quadriplicata quadraginta faciunt: quoniam « Qui redempti sunt a Domino, de regionibus » congregavit eos, ab Oriente et Occidente et Aquilone » et Mari¹. » Jejunans itaque quadraginta diebus ante mortem carnis, velut clamabat: « Abstinetes vos a desideriiis hujus sæculi. » Manducans autem et bibens quadraginta diebus post resurrectionem carnis, velut clamabat: « Ecce ego vobiscum sum usque ad consummationem sæculi². » Jejunium quippe est in tribulatione certaminis: quoniam qui in agone contendit, ab omnibus abstinens est³: cibus autem in spe pacis, quæ perfecta non erit, nisi cum corpus nostrum cujus expectamus redemptionem, induerit immortalitatem. Quod nondum adipiscendo gloriamur, sed sperando jam pascimur. Utrumque Apostolus simul nos agere ostendit dicens: « Spe gaudentes, in tribulatione patientes⁴: » tanquam illud esset in cibo, hoc in jejunio. Simul enim cum viam Domini carpinus, et a vanitate præsentis sæculi jejunemus, et futuri promissione reficiamur; hic non apponentes cor, illuc pascentes sursum cor.

¹ Psal. cvi, 2, 3. — ² Matth. xxviii, 20. — ³ 1 Cor. ix, 25. — ⁴ Rom. xii, 12.